

voluntati Dei adversus, & inter hominis casum sive Lapsum, qui nihil aliud est, quàm peccatū & transgressio horribilis; ideoque naturæ & voluntati Dei perfectè & ex toto cōtrarius, quem Deus nec voluit, nec approbavit, nec Adamum ad eum prædestinavit, vel ordinavit, sed prohibuit, & ut sibi caveret ab eo Lapsu, præmonuit, & jam commissum atrocissimè punivit.

Iren. pag. 147.

6. Tandem de hoc ipso Articulo suprà ita scripsit: *Quòd verò doceamus, Deum Adami Lapsum, ut Lapsum, voluisse, hoc est, approbasse, falsum est. Sic enim sentienti, docenti, nos dicimus Anathema. Et hic: Igitur fit nobis Injuria. Hinc ita argumentamur: Quicumque sentiunt aut docent, Deum Adami Lapsum, ut Lapsum, voluisse, hoc est, approbasse, eis Anathema est dicendum. At plerique Calviniani sentiunt & docent, Deum Lapsum Adami, ut Lapsum, eodem modo voluisse, hoc est approbasse, quo Deus vult & approbat casum passeruli. Ergo, &c. Assumptio ipsorummet Adversariorum verbis suprà jam ad oculos est demonstrata & evicta. Quibus si Pareus subscribere recusaverit, ipsemet Fratribus suis Anathema denunciaret, & ut melius sapere discant, admoneat. Eat jam, & conqueratur amplius de Injuria sibi suisque à nostris factâ, utpote quam sibimetipsis imprudentes inferunt. Et tantum etiam de I. Articulo.*

ARTICULUS III.

I. Quod Deus (*secundùm Calvinianos*) Peccata impiorum velit, omniumque peccatorum nostrorum sit Author, nec tantùm ea permittat, sed etiam efficiat.

De Statu Con-
roversia.

II. Quòd in Præcedente Articulo speciatim de Causâ & Origine peccati, Lapsus scilicet Adamici dictum: id jam in hoc